34-9-C-23 176

COMMENTARIOLVM
DE IESVITARVM CONSILIO DERIVANDI CENSVRAM QVINQVE PROPOSITIONVM IN VERAM SANCTI AVGVSTINI DOCTRINAM NOMEN PRÆTENDENDO IANSENII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex Gallicâ oratione in Latinam Conuerſum.

M. DC. LIV.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

COMMENTA

DE IESVITARVM CONSILIO DERIVANDI CENSVRAM QVINQVE propoſitionum, in veram ſancti Auguſtini doctrinam nomen pretendendo Ianſenij.

NOn hîc agitur de propoſitionibus damnatis per conſtitutionem ſummi Pontificis; nullius enim illi defuit obſequium, nullius obſeruantia, quique falsò accuſantur illi non paruiſſe, iam palam & apertè negauerunt & iterum hoc ſcripto negant tueri ſe damnatas propoſitiones, aut tuendi gratiâ vllum vnquam ſenſum interpretationemue cauſaturos. Verùm vt iam inde vſque ab exordiis huius negotij ſatis intellectum eſt, ſancti Auguſtini aduerſarios eiuſmodi propoſitiones Cenſuræ exponendas alio nullo fabricatos eſſe conſilio, quàm vt talem poſteà Cenſuram in omnes ſancti Auguſtini ſententias, quæ quidem nouis ipſorum opinionibus ſunt contrariæ, deriuarent; neque iam de eorum conſilio ambigitur poſtquàm P. Adam Ieſuita perſonam non dubitauit deponere, quâ ſe Molinæ diſcipuli texerant, ex quo iuſſ rat Clemens octauus Pontifex Maximus huius ſa viri doctrinam normam eſſe controuerſiarum de tiâ (is enim nuper in libro quem compoſuit palam pugnat doctrinam & ſacram autoritatem ſancti D ctoris, quin & eum ipſi Caluino addit comitem, & eorum Patrum numero rejicit ad quos à Theologis articulis fidei adiri oporteat) neceſſariò retegend fuerunt artes quas nunc iam adhibent vt voto Eccleſiæ exitioſo potiantur, cuius ſumma videtur eſſe, ſi h

Digitized by Google

...e propoſitiones D. Cor-
...um quatenus in ſeipſis ſen-
...um, verùm etiam quatenus ip-
...um Auguſtini, etſi vt conſilij ſui
... inuidiam nomen Auguſtini in Ianſenij nomen commutent, vt faciliùs Auguſtino ſub Ianſenij perſonâ maculam inurant. Atque hic quidem vnicus finis eſt Patri Annato propoſitus in recenti libro quem conſcripſit. Quando igitur perſuadere conantur iſtas propoſitiones, quatenus ipſam habent Ianſenij ſententiam, eſſe damnatas, etſi Ianſenianæ non ſint, ſed potiùs eius hoſtium, vt ſcriptis in eam rem editis declaratum eſt; operæ-pretium duximus demonſtrare rationibus aliquot minimè contemnendis & grauibus, quàm fallaciter & iniquè faciant, quantaque inde labes tùm veritati tùm paci Eccleſiæ oriatur.

I.

Vt ſua cuique ſincera conſtet ſummi Pontificis conſtitutioni veneratio, cauendum in primis, ne à cenſuræ vocibus diſcedatur, aut fiat id quod non fecit ipſe Pontifex. At ipſe non dixit eſſe damnatas propoſitiones quatenus ſenſum habent Ianſenij, etſi notum ſit omnibus Ieſuitas & eorum aſſeclas nihil non egiſſe vt ipſe id diceret. Si reſpondetur id ſatis eum dicere, quia ſignificat iſtas propoſitiones Ianſenianas eſſe. Reſpon...e licet multùm intereſſe, ſi quis credat narranti al... & docenti propoſitiones quaſpiam ex authore ...dam eſſe deſumptas, aut ſi quis ſuâ ſponte certo ...ecretorio iudicio eas condemnet, quatenus ...a... ſenſum autoris ex quo dicuntur erutæ. Reſpon...e præterea licet, vbi agitur de articulo fidei, qualis ... ſenſus conſtitutionis ſummi Pontificis, non agi de ...nſecutionibus quas ſuo quiſque poteſt fingere arbi...atu, ſed acquieſcendum eſſe in verbis ſolis decreti, ... quod dogma fidei conſtituitur: ſummum quidem

A

Pontificem tantummodò dicere illas propoſitiones eſſe hæreticas, quod cùm venerabundi credamus, conſtitutioni ſummi Pontificis ſatisfacimus; ſed ſummum Pontificem eas non dicere hæreticas quatenus ſenſum continent Ianſenij, atque adeò ampliùs quidpiam ab eo fieri, quàm ſummus ipſe Pontifex fecerit, imò & ſemina diſcordiæ ab eo ſpargi non pacis, qui quod ſummus ipſe Pontifex non definierit, id homines cogat credere. 178

II.

Nec verò tantùm ſummus Pontifex dicit damnare ſe propoſitiones quatenus habent ſenſum Ianſenij: verùm cenſura primæ propoſitionis, quæ ſola eſt cuius verba, quámuis mutila & corrupta ea ſint, è Ianſenio videntur eſſe deprompta, apertè demonſtrat eam illum damnaſſe quatenus ſenſum habet Lutheri & Caluini à Ianſenij ſenſu omnino diuerſum. Dicit enim illam propoſitionem eſſe ANATHEMATE DAMNATAM, quod quidem ad aliud nihil poteſt referri quàm ad Concilium Tridentinum, quod repudiauit velut anathemate digna quæ Lutherus & Caluinus docuerant de impoſſibilitate Dei mandatorum, nempe Dei mandata iuſtis omnibus eſſe impoſſibilia, quantamlibet ea implendi voluntatem habeant, quantúmuis magnas vires Dei gratia in hac vitâ ſuppeditauerit. Quod omnino contrarium eſt doctrinæ ſancti Auguſtini quam refert Iprenſis Epiſcopus, qui in quibuſdam tantùm iuſtis, vt in ſancto Petro, non verò in omnibus, vt aiunt iſti duo hæretici, agnoſcit aliquam impotentiam implendi aliqua præcepta, in priuatis & tranſitoriis circumſtantiis, qualis fuit negatio Petri, non verò totâ in vitâ; cùm debiliter & remiſsè volunt, non cùm plenam & efficacem voluntatem gratia largitur, vt in iuſtis innumeris quotidie facere conſueuit.

Digitized by Google

III.

Ac ſi quem ineſſe volunt colorem iis quæ dicunt, nempe propoſitiones eſſe damnatas quatenus ſenſum habent Ianſenij, probatum priùs oportuit ex Ianſenio fuiſſe depromptas. Nihil enim fingi poteſt iniuſtius, nihil alienius, quàm ſi quis perſuadere velit propoſitiones aliquas fuiſſe damnatas quatenus habent ſenſum ſcriptoris, etſi ſcriptor ille propoſitiones eiuſmodi non ſcripſerit, atque adeò nullum illis ſenſum attribuerit. At ſole clarius eſt eas propoſitiones, quatuor ſaltem vltimas, ab Epiſcopo Iprenſi nuſquam eſſe ſcriptas. Ac ſi cui forte hactenus hoc dubium fuerit, id iam illi debet eſſe perſuaſiſſimum, poſtquàm de eâ re librum ſcripſit P. Annatus. Is enim nullam harum quum potuiſſet inuenire, alias omnino diuerſas quærere coactus eſt, quas falſis & abſurdis ſuis conſecutionibus, ſimiles Ianſenianis eſſe contendit. Quod Iprenſis Epiſcopi innocentiam vel maximè probat; quandoquidem poſtquàm eius aduerſarij ſparſis vbique rumoribus jactauerant librum quem ipſe ſcripſiſſet eſſe refertum hæreſibus, nullam tamen verè propoſitionem ex toto eius libro potuerunt eruere, quam vt hæreticam poſtularent damnari, ipſique adeò fuerunt coacti primam mutilare & corrumpere, & alias quatuor egregiè nouas & à Ianſenianis omnino diuerſas comminiſci quas damnari poſtularent. Ita factum eſt miro & hactenus inuiſo prodigio, magnæ molis librum, qui in tomos tres partitus ſit, & anteà hæreſibus ſcatere ferebatur, non tamen vel vnam hæreticam propoſitionem propriis eius verbis conſcriptam, ſi locorum abſuerit adulteratio & corruptio, potuiſſe ſuppeditare.

IV.

Quando conſtat inter omnes, quatuor ſaltem vltimas propoſitiones ex Iprenſis Epiſcopi libro non eſſe

excerptas, ſi quis omnes Catholicos pro damnatis hæreſeos propoſitionibus habere coegerit, non eas tantùm quas D. Cornet confecit & ſummus poſteà Pontifex vt hæreticas damnauit, ſed & propoſitiones Iprenſis Epiſcopi quas P. Annatus falſis ſuis interpretationibus & prauis conſecutionibus perſuadere conatur eaſdem eſſe cum damnatis; is Eccleſiæ fidem fundare tentauerit, non verbo Dei per ſummum Pontificem explicato, ſed Patris Annati interpretationibus & conſecutionibus. Sic erit hæretica propoſitio, non quòd talem eam ſummus Pontifex declarauerit, ſed quòd Ieſuitæ iſti viſa fuerit ſimilis illius propoſitionis, quam ſummus Pontifex vt hæreticam damnauerit.

V.

Si dicatur, condemnare has propoſitiones quatenus habent ſenſum Ianſenij, aliud nihil eſſe quàm damnare id quod ſenſit Ianſenius ſuper his propoſitionibus.

Reſpondere licet, primò rem eſſe aliam omnino & diuerſam ab eâ quam ſummus Pontifex fecit in ſuâ conſtitutione, quæque adeò nouâ diſceptatione egeat. Secundò cùm facilè oſtendi poſſit à Ianſenio ſcriptas eſſe propoſitiones his propoſitionibus omnino contrarias, damnare quod ſenſit Ianſenius ſuper his propoſitionibus, aliud non eſt quàm damnare propoſitiones quæ damnatis propoſitionibus contrariæ ſunt. Atque adeò pro articulis fidei duas cōtradictorias propoſitiones conſtituere. Huius rei argumento ſit ſecunda propoſitio quæ talis eſt: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Epiſcopus verò Iprenſis ſic habet: *Ianſen. to. 3. l. 2. c. 27.* CONSTAT *multos diuinitùs mente colluſtrari, imò verò & in ipſâ voluntate motibus diuinæ gratiæ percelli, qui tamen ab eius* INTERNA *ſuaſione & inclinatione* DISSENTIVNT. Atque adeò ex illâ verâ Iprenſis Epiſcopi propoſitione hanc inferre licet damnatæ contrariam. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ ſæpe reſiſtitur.* Idem proba-

Digitized by Google

ri poteſt de alijs propoſitionibus. Ita ſi fiat quod eſt Ieſuitis in animo, id eſt, ſi damnetur quod Ianſenius ſenſit de his propoſitionibus, tantum turbarum excitatur in Eccleſiâ, vt iam quid credant fideles non habeant; æque enim damnatæ videbuntur duæ contrariæ propoſitiones.

VI.

Atque is quidem omnes Eccleſiæ leges violauerit, qui has propoſitiones damnatas eſſe quatenus ſenſum continent Ianſenij ſtatuere voluerit, niſi priùs ſincerè & diligenter, & iuxta canonicas formas Ianſenij librum examinauerit. Nec tamen eſt conſilium hoc facere, nec id Romæ inſtitutum eſt. Satis enim intelligunt Ieſuitæ, ſi ad hoc examen veniatur, fore vt à genuinâ Auguſtini doctrinâ Ianſenij doctrina alia nullibi videatur.

VII.

Si quando in Eccleſiâ contentio orta eſt, neque litigantes iudicium declinant, non dubium eſt, quin ſolenne ſemper fuerit Eccleſiæ, quod & naturali & ciuili iuri congruum eſt, vt litigatorum alteri coram altero cauſam dicere poſtulanti, aut ſcriptum edere quid velit, detur actio, niſi ſi iudicium nolunt illi reddere. Ita Diſcipuli Sancti Auguſtini, cùm cauſam dicere poſtulent præſente P. Annato qui illos libro publicè edito accuſauit, colloquium illis cum iſto Ieſuitâ non poteſt denegari ſi poſtulant; quod ſi denegabitur, ordo iudiciorum Eccleſiaſticorum euertitur. Cúmque ante annos quinquaginta duo ſummi Pontifices annos fere ſeptem in vnius Ieſuitæ libro examinando poſuerint, & prope centum conuentus de eâ re indixerint, vbi vtramque in partem omnia agitata ſunt, non poſſunt non grauiter offendi omnes æquitatis amantes viri, ſi his temporibus vel vnius diecul æ ſpatium non concedatur & colloquium vnicum, vbi de totâ re

vtramque

vtramque in partem diſputetur, ad examinandum librum celebris Theologiæ Profeſſoris doctiſſimique Epiſcopi, qui de vniuersâ gratiæ doctrinâ diſputat.

VIII.

Vſque adeò verum eſt, idem ſentire cum Auguſtino Ianſenium ſuper harum propoſitionum argumento, idque quiuis, qui vel vnicum eius capitulum perlegerit & accuratè examinauerit, tam perſpicuè cognoſcet, vt quicquid fraudis & fallaciæ excogitetur ad Ianſenij ſenſus condemnandos, quod Ieſuitæ perpetuo conuitio flagitant, eruditi tamen Theologi omnes non poſſint non agnoſcere, præcipua Auguſtini doctrinæ capita prætento Ianſenij nomine, hoc ſi accidat, fuiſſe damnata. Omnium ergo Eccleſiæ amantium, atque in primis Epiſcoporum eſt iudicare, ſi poſtquàm iuxta P. Petauij verba, AVGVSTINI SENTENTIAM, QVOTQVOT DEINDE CONSECVTI SVNT PATRES AC DOCTORES, TVM VERO ECCLESIÆ ROMANÆ PRÆSVLES, PRÆSVLVMQVE CONVENTVS ALIORVM, RATAM ET CATHOLICAM ESSE IVDICARVNT: VT HOC SATIS MAGNVM PVTARENT VERITATIS ARGVMENTVM, QVOD AB AVGVSTINO POSITVM AC DECRETVM ESSE CONSTARET; nunc iam saluâ, hæreticorumque à contemptu ſartâ & tectâ Eccleſiæ infallibilitate, non tantùm à ſancti Auguſtini doctrinâ deficere, ſed & eius præcipua capita (quod horrendum dictu eſt) tanquam blaſphemias impietates & hæreſes liceat condemnare. *Theol. Dogm. to. 1. l. 9. c. 6.*

IX.

Si id dicitur, non agi de ſenſu Auguſtini, ſed de interpretatione quâ Iprenſis Epiſcopus expoſuit verba Auguſtini, atque adeò eiuſmodi interpretationes non damnato Auguſtino poſſe damnari, quem Theologi alij aliter interpretati ſunt. Reſpondetur tam fal-

Digitized by Google

ſum eſſe, agi de interpretatione Ianſenianâ, non vero de ſenſu Auguſtini, vt ſemper profeſſi fuerimus, facilè nos diſceſſuros ab omnibus quæ dixiſſet Iprenſis Epiſcopus, ſi perſpicuis & conceptis verbis ea non eſſent in Auguſtino.

Hoc exempli causâ ponatur: non agitur de priuatâ vllâ ſententiâ aut interpretatione Iprenſis Epiſcopi ſuper primâ propoſitione, quæ ſententia vel interpretatio ſpectet quo ſenſu dici poſſit, Dei mandata eſſe poſſibilia vel impoſſibilia: ſed hoc agitur, vtrùm damnari poſſit hæreſeos & blaſphemiæ, quæ verba ſunt cenſuræ, hæc vera propoſitio Iprenſis Epiſcopi, nonnullos iuſtos, vt ſanctum Petrum, aliquando mandata Dei aliqua faciendi poteſtatem non habere, quòd voluntatem ſatis robuſtam ad ea facienda non habeant, illiſque deſit gratia, quæ ſi adeſſet hanc voluntatem daret; quin vnâ eâdemque operâ hæreſeos & blaſphemiæ damnetur vera ſeu formalis doctrina ſancti Auguſtini, quam hoc probat capite & refert numeratis locis quinquaginta ex Auguſtino depromptis, vbi ſic habet, *Qui vult facere Dei mandatum* ET NON POTEST, *iam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc paruam & inualidam*; POTERIT *autem cùm magnam habuerit & robuſtam*: & iterum *cùm fortis & potens voluntas præparatur à Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod difficile atque* IMPOSSIBILE *fuit*: & rurſus orandum eſſe Deum dicit cùm tentamur à concupiſcentiâ noſtrâ, ne gratiâ eius deſtituamur, *Vt ſi forte tentari cœperimus à concupiſcentiâ noſtrâ, adiutorio eius non deſeramur*, VT IN EO POSSIMVS *vincere, ne abſtrahamur illecti*: & rurſus, *volo vt velis, ſed* NON SVFFICIT *vt velis, adiuuandus es, vt plenè velis & impleas quod velis*.

Aug. de gratia & lib. arb. cap. 16.

Retract. lib. 1. c. 22.

Lib. 2. de pecc. meret. c. 4. Serm. 3. de verb. Ap. c. 10.

Serm. 106. c. 1.

Ruſus de ſancto Petro. *Sequutus eſt Dominum paſſurum; ſed tunc* NON POTVIT *ſequi paſſurus. Promiſit ſe moriturum pro illo, &* NON POTVIT *nec cum illo; plus*

enim auſus erat quàm eius CAPACITAS *ſuſtinebat*; *plus promiſerat quàm* POTERAT. Rurſus eundem S. Petrum dicit non caruiſſe paruâ & imperfectâ caritate, cùm Christo ſe pro illo moriturum diceret, quia *putabat* SE POSSE *quod ſe velle ſentiebat*. Denique vt magnam locorum ſimilium multitudinem de Petro prætereamus, Apoſtolum illum magnâ & plenâ caritate caruiſſe, *quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus* NON POTVIT *verum teſtimonium perhibere*. Cùm igitur doctrina, quam illo capite refert Iprenſis Epiſcopus, perſpicuis & conceptis verbis, illis in locis Auguſtini, & quadraginta in aliis ſimilibus, quos ibidem citat, contineatur, nunquid Eccleſiam irridere videretur qui ſanctam & Euangelicam doctrinam omnibus his Auguſtini locis, & prætereà multis aliis Scripturæ Conciliorum & Patrum, quos referre eſſet facile, contentam condemnaret, eâdemque operâ exiſtimaret, Iprenſis Epiſcopi interpretationem ſolam, non ſancti Auguſtini doctrinam, condemnari?

De grat. & lib. arb. c. 17.

Tract. 92. in Ioan. c. 15 quod legitur in Breuario Romano feria 6. poſt octauam Aſcenſionis lect. 6.

X.

Si S. Auguſtinus de gratiâ obiter tantùm more Græcorum Patrum ſcripſiſſet, aliqua ſaltem cauſa fingi poſſet, quare difficilè lectis eius libris poſſet ipſius explorari ſententia; quòd nempe ſatis apertè eam declarare grauatus eſſet. Sed quid magis præter omnium hominum opinionem euenerit, quàm ſi vir vnus, omnium fortè quos tulerit Eccleſia ingenij maximi, per viginti propemodùm annorum ſpatium de argumento diſputauerit, tot libros compoſuerit, tot omnis generis opuſcula elucubratus fuerit, de eâdem re vicies tricies & quinquagies eodem modo locutus fuerit, toties ea propugnanda & denuo confirmanda argumenta habuerit, quibus aduerſariorum obiecta dilueret; neque tamen his peractis omnibus, vir omniũ, inquam, minimè infans & diſertiſſimus, aperire ſuam ſenten-

Digitized by Google

tiam potuerit? Id tamen contendunt euenire Ieſuitæ, & hoc eſt, quod conceptis verbis in ſuo libro Pater Adam Ieſuita dixit; nec aliam ob cauſam vanarum interpretationum, per Iprenſem Epiſcopum Auguſtini doctrinæ affictarum, nomine, condemnare poſtulat veros Auguſtini ſenſus, quos ipſe Auguſtinus verbis conceptis, & vt aiunt formalibus, complexus eſt, qui locis ipſius compluribus concordibus, & ſæpe etiam integris libris eiuſdem, probantur.

XI.

Falsò contendunt nonnulli, obſcuram eſſe Sancti Auguſtini doctrinam apud Auguſtinum, quaſque illi tenebras offundere volunt, ipſi habent in mente ſuâ, qui nolunt videre quam piget accipere, propterea quòd opinionum ſuarum nouitati ſentiunt repugnare. Hoc adeò vel inde cognoſcere licet, quòd non aliam in Auguſtino doctrinam inuenit Iprenſis Epiſcopus ab eâ, quam ante ipſum agnouerunt Patres omnes inferioris ætatis, ipſique pariter Auguſtini hoſtes Semipelagiani. Præterea verò Sancti Auguſtini Diſcipuli ſuis verbis credi non poſtulant, ſed potiùs beneficij loco ſibi apponi petunt, vt cauſam dicere liceat coram aduerſariis, quos facilè reuincant, per eos ſolos adulterari doctrinam ſancti Auguſtini falſis interpretationibus eius verbis contrariis; cùm ipſi ſeriem tantùm & veluti contextum eius doctrinæ perſequantur, remotis interpretationibus, niſi ſi fortè, obſcurior locus vnus, quo abuti volunt aduerſarij, cum quinquaginta maximè perſpicuis conciliandus eſt.

XII.

Id etiam apertè profitemur oſtendere, non aliter accipi à nobis doctrinam Auguſtini, atque Iprenſem ante Epiſcopum accepta eſt à ſummis quibuſque huius ætatis Theologis, atque imprimis ab Eſtio Duacenſis Academiæ Cancellario, cuius in Paulum commentaria

omnium calculo comprobantur; quique nemini hactenus in erroris aut hæreſeos ſuſpicionē venit. Is, poſtquàm docuit, quod Ianſenius poſteà fecit, gratiam per ſeipſam efficacem cuiuis pietatis operi eſſe neceſſariam, quâ ſine nihil boni poſſit fieri; gratiam Chriſti numquam non aliquid facere; numquam non dare initium ſaltem aliquod bonæ voluntatis; gratiam ſufficientem omnibus datam liberoque arbitrio ſubiectam, ipſum eſſe errorem Semipelagianorum, ita ſcribit: *Quidam ad hoc reſpondent, nullum eſſe hominem, cui non ſemper adſit obuium & paratum à Deo auxilium gratiæ, per quod poſſit totam legem ſeruare. Sed hæc reſponſio, neque Scripturis Sacris, neque doctrinæ Sanctorum Patrum conſonat, neque cum efficaci operatione gratiæ Dei conſiſtit.* Et rurſus in commentariis in Paulum ſuper his verbis Apoſtoli: Deus vult omnes homines ſaluos fieri: loquitur ad hunc modum. *Ab his* (Pelagianis ſcilicet Ambroſiaſtro & Pelagio) *reipſâ non diſſentiunt, qui ſententiam ad hunc modum ſupplent, qui vult quantum in ipſo eſt omnes homines ſaluos fieri: Dicunt enim Deum omnibus hominibus ſuppeditare media ſufficientia ad ſalutem conſequendam, atque id volunt in his Apoſtoli verbis ſignificatum eſſe. Senſum hunc, velut ſanæ doctrinæ minus congruentem, reijciunt Catholici Patres, Auguſtinus, Proſper, & Fulgentius.*

Eſtius in 2. ſent. diſtinct. 26. parag. 41.

In 1. ad Timot. c. 2.

XIII.

Sed luce clarius eſt, aliud iis omnibus, quæ de Ianſenio, iactantur falsò prætexi, quique eius ſententias damnari poſtulant nil aliud affectare, quàm vt præcipua ſancti Auguſtini capita ſub Ianſenij perſonâ damnentur.

Id ex P. Annato facilè intelligitur, qui cùm in Iprenſi Epiſcopo propoſitiones ſimiles ſecundæ damnatarum propoſitionum à ſummo Pontifice inueſtigaret, vnam his verbis refert: *Propoſitio Ianſenij tam.* 3.

lib. 2. cap. 9. (tamen eſt 24.) *vbi approbat id quod imputat Auguſtino, hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere*, quibus addere debuit Annatus, ſi locum iſtum truncum afferre noluit, *ſed è contrario Deum quidquid omnino voluerit in voluntate operari.*

Aug. de cor. & gra. c. 14.

Cùm manifeſtò ſit Auguſtini hæc propoſitio, in ipſo loco quem ibidem citat Iprenſis Epiſcopus, vbi ſic habet Auguſtinus, *Non eſt dubitandum voluntati Dei humanas voluntates* NON POSSE RESISTERE *quominus faciat ipſa, quod vult.* Num manifeſtum eſt à P. Annato non potuiſſe contendi, hanc propoſitionem eandem eſſe cum ſecundâ damnatarum propoſitionum à ſummo Pontifice, quin vnâ operà contenderit, à ſummo Pontifice vnum de præcipuis S. Auguſtini dogmatibus hæreſeos fuiſſe damnatum, quod ex Scripturâ & Patribus omnibus articulum eſſe noſtræ fidei demonſtrare nullum negotium eſt. *Hoc niſi credamus*, inquit idem Auguſtinus, *periclitatur ipſum noſtræ fidei confeſſionis initiam, quâ nos in Deum Patrem Omnipotentem credere confitemur; neque enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, niſi quia quidquid vult poteſt, nec voluntate cuiuſquam creaturæ, voluntatis Omnipotētis impeditur effectus.*

Aug. ib.

Aug. in Ench. cap. 96.

Atque eos parum ſincerè loqui aut cæcutire in re apertâ neceſſe eſt, qui non videant, quod tamen perſpicuum eſt, tum Iprenſis Epiſcopi, tum Auguſtini documentum eſſe, & à ſecunda propoſitione D. Cornet per ſummum Pontificem damnatâ multùm diſcrepare. Agit enim propoſitio D. Cornet de gratiâ in ſe ipsâ, ſpectando ſcilicet illam iuxta motum quem indit animæ qui forte debilis eſt, aut iuxta effectum ad quem refertur, omiſsâ interim Dei voluntate & conſilio, cui ſæpe cordi eſt tali effectu gratiam carere. Nec dubitari poteſt, quin illa ſi hoc modo ſpectatur, gratiæ ſæpe reſiſtamus, vt ait Iprenſis Epiſcopus, eo quòd facere ſæpe id omittimus, ad quod

Digitized by Google

gratiæ motus inducit, vt dare Eleemoſynam, ſi quando ad id induxerit gratia. Si verò gratia voluntati Dei coniungitur, aut potiùs ſi Deus ipſe ſpectatur, qui per gratiam agit ex præſcripto conſiliorum & voluntatis ſuæ omnipotentis, quod facit Iprenſis Epiſcopus Auguſtinum ſecutus in loco per Annatum citato, ſine aliquâ impietate negari non poteſt, Deo per gratiam ſic operanti non poſſe nos ita reſiſtere, vt prohibeamus eum in nobis ac per nos facere quidquid vult. 183

XIV.

Quòd verò Auguſtini autoritatem labefactare & eleuare in animo habeant, inde etiam manifeſtiùs perſpicitur, quòd P. Annatus in eos maxime Epiſcopos contumelioſus vel potius iniurioſus eſt, qui ſummi Pontificis Cõſtitutionem edentes in vulgus, Suæ Sanctitatis ſententiam amplexi, declarauerunt, illi non eſſe in animo, vt per hanc Conſtitutionem quicquam Auguſtini ſententiæ detraheretur. Talem declarationem vt ſuſpectam exagitat, aut ſuperuacaneam & ridiculam. Eius hæc verba ſunt: *Suſpecta, Deus immortalis, exceptio, vel certè, vt mitiſſimè loquar, ſuperflua!* Et paulò inferiùs: *Cùm poſſem vocare ridiculam exceptionem, dicere malui tantùm eſſe ſuperfluam.* Quibuſque argumentis voces temerarias & contumelioſas probare contendit, iiſdem veterem Eccleſiæ traditionem euertit, atque adeò fidem Chriſtianam vniuerſam, quæ traditione tanquàm ſtabili quodam fundamento nititur. Dicit enim eos, qui id declarant, *vel ſupponere certiorem eſſe ſancti Auguſtini ſententiam deciſione Romani Pontificis*, atque adeò POSSE QVI SIC PROTESTANTVR ANNVMERARI CVM PROTESTANTIBVS: aut *tutiorem putare definitionem Romani Pontificis Auguſtini ſententiâ*, proindeque *eorum exceptionem poſſe vocari ſuperfluam*, imò & *ridiculam*, cùm id aliud nihil ſit, quàm *eum qui tutiorem partem ſe*

Digitized by Google

putat ſequi, conteſtari ſe ita illi adhærere, vt non rogatur recedere à minùs tutâ.

Hæc in Eccleſiâ hactenus inaudita eſt ludificatio. Affingit enim Annatus Ieſuita ſapientiſſimis Epiſcopis, quod ab eorum mente abfuiſſe vel ipſorum declaratione compertum eſt: Conſtitutionem nempe Summi Pontificis & Auguſtini doctrinam, ab ipſis vt oppoſita duo fuiſſe ſpectatam, quorum alterum ſi amplectaris, alterum deponere neceſſe habeas. Aliud fuit eorum conſilium, cùm enim certò ſcirent, quod & ipſe ſummus Pontifex declarauit, nullam abs conſtitutione Sancti Auguſtini doctrinæ ortam eſſe iniuriam, id nullam aliam ob cauſam pronuntiauerunt, quàm vt Sancti Doctoris aduerſariorum malitiam præuerterent, quos intelligebant hæreticas propoſitiones non alio conſilio fuiſſe architectatos, quàm vt earum cenſuram in præcipua doctrinæ Auguſtini capita nouellis ſuis opinionibus exitioſa detorquerent.

De comparatione verò quam P. Annatus Auguſtini doctrinam inter & Summi Pontificis Conſtitutionem inſtitui poſtulat, multò rectiùs dicatur quàm ab iſto Ieſuita, *Suſpecta, Deus Immortalis, comparatio! ne dicam ridicula!* Nouos enim fidei Articulos, non condi à Summo Pontifice, ſed inueſtigari antiquos, vniuerſi Theologi conſentiunt, quibus accedit ipſe Annatus, vt patet ex libello, quem, Toloſæ Rector cum eſſet, edidit, aduersùs ſelecta capita Theologiæ Moralis Ieſuiticæ. Eiuſmodi verò fit inueſtigatio, adhibitis regulis quæ à Chriſto Eccleſiæ relictæ ſunt, iuxta Vallium qui ſic habet. *Non enim vt Eleganter docet Vincentius Lirinenſis libro contra hæreſes, noua fidei dogmata ſtatuit Eccleſia, ſed vetera eruit. Idque regulis à Chriſto Eccleſiæ relictis, Scripturâ, Traditionibus, Conciliorum definitionibus, decretis prædeceſſorum ſuorum, unanimi Patrum conſenſu, & cæteris aliis, quæ breuitatis ergò omittimus, vtendo:*

Andræas du Val de infallib. l. Rom. Pō-tif. qu. 3.

da: *Neque aliter, vt in confeſſo eſt apud omnes, ei adeſt Spiritus Sanctus.* 134

Atque inde ſequitur, cùm S. Auguſtinum pro gratiæ Doctore & præcipuo Eccleſiaſticæ traditionis in hoc fidei articulo ſequeſtri vel depoſitario ab Eccleſiâ ſit habitus, Annato fingere non licuiſſe quod fingit; ab eâ nempe regulâ Summum Pontificem deflexiſſe, quàm omnes hactenus eius deceſſores ſecuti ſunt; S. verò Auguſtinum probare vel damnare, habuiſſe promiſcuum; quod non dubitat his verbis dicere Annatus: *Non intendit Pontifex in Auguſtinum, vt eius doctrinam vel ſanciret vel damnaret:* niſi fortè Summi Pontificis Conſtitutionem labefactare vult, dum Eccleſiaſticæ traditionis fundamentum illi detrahit, quam tùm Sancta Sedes, tùm Concilia, ipſo fatente Petauio, in libris præcipuè Auguſtini agnouerunt contineri. Eſſet enim dicere (vt Vallius loquitur) quod vel cogitare nefarium eſſet, caruiſſe Conſtitutionem Sancti Spiritus præſidio. *Neque enim aliter, vt in confeſſo eſt apud omnes, ei adeſt Spiritus Sanctus.* Pag. 28. Pag. 21.

XV.

Non eſt igitur, quomodò rite Sanctæ Sedis Conſtitutioni obtemperemus, niſi antiquæ Eccleſiæ traditioni, atque adeò eius traditionis perpetuo conſeruatori Auguſtino conſentire eam agnoſcamus, qui Summis Pontificibus omnibus omnium de hoc argumento diſputationum pro normâ fuit. Denique vt cogitatiſſimè res illa pertractetur, ad veram & firmam pacem conciliandam, contentioneſque & controuerſias ſedandas, nulla inuenietur via facilior, quàm ſi vtrique Auguſtini autoritati ſubjiciantur. Huius rei faciendæ exemplum extat apud hiſtoriam Eccleſiaſticam, quod facilè peruincat quidquid eſt paulò æquiorum hominum. Cùm enim Clerici multi Galliæ, Epiſcopique aliquot, in Semipelagianorum errorem inci-

Digitized by Google

diſſent, etſi in Eccleſiæ Catholicæ communione permanerent, eaque annos centum duraſſet contentio, vſque ad Concilium Arauſicanum ſecundum, quod anno Chriſti 529. eſt habitum; eo in Concilio, cùm Romana Gallicanaque Eccleſia in eam ſententiam deſcendiſſent, vt ſcilicet [illegible] es ipſis Auguſtini verbis ederent, finis [illegible] ſputa[illegible] factus eſt haud multò poſt hoc Concilium, omneſque in totâ Eccleſiâ veram & indefæcatam gratiæ doctrinam amplexati ſunt. Id quidem à P. Sirmundo in primo tomo Conciliorum Galliæ his verbis memoriâ dignisſimis annotatum. *Quidam in Galliâ Epiſcopi, aliique, à Sancto Auguſtino, cùm in cæteris maximi facerent, vehementer hac in parte* (doctrinâ ſcilicet prædeſtinationis & gratiæ) *diſſidebant. At contrà, qui pro Sancti Auguſtini placitis cum Proſpero dimicabant, eius aduerſarios, quòd naturæ humanæ plus æquo tribuere viderentur, vt Semipelagianos inſimulabant. Quâ nota in his etiam libris non caruit. Nam & à Gelaſio Papa hoc nomine inter apocriphos relati ſunt, & ab Auito Viennenſi, atque à Fulgentio, & aliis pluribus oppugnati. Cæterùm graui & diuturnæ contentioni, quæ Sanctiſſimos & doctiſſimos vtrimque viros in galliâ centum amplius annos exercuit, finem poſteà tandem attulit Synodus Arauſicana 2. qua totam de gratiâ & libero arbitrio Controuerſiam*

EX SANCTI AVGVSTINI SENTENTIA [illegible] POSVIT.

ORATIONES DVÆ CLEMENTIS OCTAVI PONTIFICIS MAXIMI

Initio Congregationis de Auxiliis habitæ in Vaticano XI. Kal. Aprilis. An. 1602.

Fideliter exſcriptæ ex Autographo quod Romæ eſt.

SESSIO PRIMA.

Celebrata apud S. Petrum in intimo cubiculo S. D. N. Clementis Papæ VIII.

Die 20. menſis Martij eiuſdem anni (1602.) quæ fuit feria quarta poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ, hora XV. coram S. D. N. Clemente Papa VIII. Præſentibus Dominis Cardinalibus, generalibus Inquiſitoribus totius Eccleſiæ Catholicæ, Domino Camillo Burgheſio, & Domino Pompeo Arigonio, quinque Epiſcopis & nouem Doctoribus Theologis, quorum nomina infra apponentur, collectis in intimo cubiculo Sanctitatis ſuæ, ſedentibus de more Domi-

Digitized by Google

nis Cardinalibus, cæteris omnibus adſtantibus que-
xit S. D. N.

Prima oratio Clementis Octaui.

CVm multa ſint quæ nos vehementer ſollicitant in vniuerſi Chriſtiani orbis regimine nobis à Deo concredito, vnum illudque grauiſſimum eſt, quod ad præſentem controuerſiam inter Patres Dominicanos & Societatis Ieſu ortam, & tamdiu non ſine magno animorum periculo exagitatam, ſpectat. Quam vt tandem ſedaremus & dirimeremus, omnino conſtituimus, vt nobis præſentibus vtrique Patres de propoſitis articulis diſſererent, quò faciliùs poſteà quid quiſque ſentiret, liberè proferret. Hoc autem vnum maximè ſemper optauimus, vt ad huiuscauſæ diſcuſſionem, non fouendæ contentionis ſtudio, ſed indagandæ veritatis deſiderio, omni humano affectu depoſito vos omnes accedatis. Quod vt à vobis huc vſque præſtitum fuiſſe nobis perſuademus, ita in poſterum facilè præſtandum ſperamus.

His breuiter dictis, ex Conſultoribus deputatis, duos ſelegit quos declarauit Secretarios Congregationis; Patres, Fr. Gregorium Nunnium Coronel Luſitanum Ordinis S. Auguſtini; & Dominum Anaſtaſium à Brexia Ordinis S. Benedicti. Deinde facto ſigno, ingreſſi ſunt Patres, Generalis Ordinis S. Dominici qui ſecum duxit Patrem Fr. Didacum Aluarez Regentem Collegij S. Thomæ ſupra Mineruam; Et Generalis Societatis cum Patre Gregorio de Valentia, qui partes Molinæ

ageret. [illegible] D. N. in hunc modum [illegible]-nem conuertit.

Secunda oratio Clementis Octaui.

HÆc quæ inter vos tamdiu agitata eſt controuerſia, ita pertinacibus concertationibus in multorum aures & animos per vniuerſam Europam ſe inſinuauit, & tam ingentes turbas in multis Academiis excitauit, vt maximum Reipublicæ Chriſtianæ periculum minitari videatur, niſi vel ad pacem mutuam vos ipſi reducamini, vel ſalutare remedium nos huic negotio adhibeamus. Etenim nouis iſtis veſtris opinationibus, vel veteribus quidem, ſed ſepultis iam poſt mille ducentos annos, & ab Eccleſiâ profligatis, ita Catholicorum animos rurſus imbuere ſtuduiſtis, vt procul dubio videamini pacem ſcindere, inconſutilem Domini tunicam diuidere, & in Eccleſiam Dei Pelagij hæreſim iterum inuehere. Quid enim aliud eſt, vel prorſus repudiatis, vel ſaltem poſthabitis vetuſtiſſimis illis & ſanctiſſimis viris Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Proſpero & aliis, qui nullis vigiliis aut labori parcentes, aduersùs Pelagianos conſtantiſſimè dimicarunt, eorum artes diſcuſſerunt, venenum retegerunt, falſos ſenſus aperuerunt, & argumentationes omnes diſſoluerunt. Quid, inquam, aliud eſt, poſthabitis his ſanctiſſimis & doctiſſimis Patribus, recentioribus quibuſdam, vel nullius, vel certe exigui nominis, Doctoribus, tamquam Ducibus ad iſtas veſtras opinationes deffendendas vti, quàm Eccleſiam Dei Pela-

Digitized by Google

[illegible] contamina-re? Quid eſt hoc quod molimini? An non dubitatis, pro defenſione vnius Molinæ, inuehere in Eccleſiam Dei Pelagij dogmata? Perpendite, obſecro vos, quàm graue periculum à veſtris iſtis concertationibus vniuerſo Chriſtiano orbi impendeat. Nolite communi vtilitati & ſaluti priuatas veſtras rationes præferre. Cedite Patribus, Cedite veritati. Et hoc vos libentibus animis facturos ſperans, è re præſenti fore duxi, vniuerſam iſtam controuerſiam ad aliquot capita vel articulos reducere, ex quorum diſcuſſione veritas Catholicæ doctrinæ apparere facilè poterit. Horum duos de quibus hodiernâ die diſſeretis, vobis propoſui. In quâ diſputatione, mementote omnes vos Eccleſiæ vnius filios eſſe. Per ſponſum eius Chriſtum Ieſum rogo vos, vt omni odio depoſito, diſſidiiſque propriis ſemotis, ita inquirendæ & indagandæ veritati operam nauetis, vt à vero ſenſu Scripturarum, & à defœcatâ S. Auguſtini doctrinâ, quam & Eccleſiæ doctrinam eſſe nemo veſtrûm ignorat, nullius inuidiæ & liuoris facibus impediamini.

Hæc cùm dixiſſet, pauliſper ſiſtens S. D. N. mox à Sede ſurrexit, & genu flexo, omnibus pariter flexis genibus cum illo orantibus; ſic Deum precatus eſt, &c.

Digitized by Google

197

EOrum omnium, quæ Clemens Octauus Pontifex Doctiſſimus hac in Seſſione dixit, acta habentur integra, ex ipſo quod Romæ eſt archetipo exſcripta per eum, qui hanc partem edidit. Ea prima fuit multarum ſeſſionum, vbi Dominicanos & Ieſuitas diſputantes audiri voluit, quorum hi doctrinam Molinæ propugnabant, illi oppugnabant. Sed plurimæ aliæ Seſſiones præceſſerant, quibus præfuerat Cardinalis Madrutius, in quibus Molinæ opiniones vt Pelagianæ & Semipelagianæ cenſurâ notatæ fuerant. Quater hæc in Seſſione locutus eſt ſummus Pontifex.

1. Conſultoribus, ipſis iuſtitiæ & æquitatis amorem in illo iudicio commendaturus.

2. Diſputantes cohortatus, vt in eâ contentione pacatum & amicum animum retinerent, atque in primis Ieſuitas, ad quos orationem ſuam conuerterat, increpans, quòd Eccleſiam perturbarent defenſione illâ, quam ſuſceperant opinionum Molinæ, quæ ad Pelagianam hæreſim denuo excitandam pertinebant.

3. Deum ipſum precatus, & Spiritus Sancti auxilium implorans.

4. Magnam ingreſſus orationem, pro Sancti Auguſtini authoritate, cuius Epitome fidiſſima refertur in libro Patris Gibieu de libertate, ex Domini le Boſſu Doctoris Sorbonici, qui Conſultorum vnus fuit, chierographo excerpta. Eduntur modò primi tantùm ante relati ſermones duo, in aliud Tempus, ſi fortè neceſſe fuerit, reliqua reſeruantur.

Digitized by Google

FINE

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google